

Quod si odio eorum, non dilectione fecisset, dum eum comederet zelus domus Dei, non ei reputaretur ad justitiam. Hoc enim facto, illum populum cuius futurus erat major interitus, tanquam unum hominem quasi virga percussit, ut animam ejus salvaret a morte. Leniorem quidem revelato Testamento novo Dominus Christus esse voluit disciplinam; sed atrocior est comminatio gehennæ, quam tunc in illis comminationibus Dei pro temporum dispensatione non legimus. « Multiplicata est ergo in eis » ruina, » cum pro suis gravibus peccatis graviter vastarentur. « Et stetit Phinees, et placavit, et cessavit quassatio<sup>1</sup>. » Breviter totum dixit, quia non hic nescientes docet, sed commemorat scientes. Quæ autem hic posita est quassatio, hæc superius confractio: nam in græco unum verbum est.

XXVII. « Et reputatum est ei in justitiam, in generationem et generationem usque in sempiternum<sup>2</sup>. » Deus hoc reputavit sacerdoti suo in justitiam, non solum quandiu generatio est, sed « Usque in sempiternum; » qui cor scrutatur, et novit appendere quanta id factum sit populi charitate.

XXVIII. « Et irritaverunt eum ad aquam contradictionis, et vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbaverunt spiritum ejus. Et distinxit in labiis suis<sup>3</sup>. » Quid est, « distinxit? » Quasi illud non posset Deus facere, qui tanta jam fecerat, ut aqua de petra proflueret. Dubitanter enim petram virga percussit, et ideo hoc miraculum distinxit a cæteris miraculis, in quibus non dubitaverat. Hinc offendit, hinc audire meruit ut moreretur, ne intraret in terram promissionis<sup>4</sup>. Perturbatus enim murmure populi infidelis, non tenuit fiduciam qualem debuit. Cui tamen Deus tanquam electo suo, etiam post mortem ejus

<sup>1</sup> Psal. cv, 30. — <sup>2</sup> Ibid. 31. — <sup>3</sup> Ibid. 32, 33. — <sup>4</sup> Deut. xxxii, 49-52.

bonum perhibet testimonium, ut intelligamus illam fidei ejus titubationem hac sola pœna fuisse correptam, quod in eam terram, quo populum ipse ducebat, non est permissus intrare. Absit autem ut eum credamus alienatum a regno gratiæ Dei, quod significabat illa terra promissionis, unde lac et mel defluere dicebatur<sup>1</sup>. Hoc est enim potius testamentum æternum, quod disposuit ad Abraham, non secundum carnem patrem nostrum, sed secundum fidem.

XXIX. Illi autem de quorum iniquitatibus iste loquitur Psalmus, cum in illam temporalem terram promissionis intrassent: « Non disperdiderunt Gentes, quas dixit » Dominus illis. Et commixti sunt inter Gentes, et didicerunt opera eorum, et servierunt sculptilibus eorum, » et factum est illis in scandalum<sup>2</sup>. » Illud quod eas non disperdiderunt, sed eis commixti sunt, factum est illis in scandalum.

XXX. « Et immolaverunt filios suos, et filias suas dæmoniis: et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum et filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan<sup>3</sup>. » Immolasse filios suos et filias suas dæmoniis et idolis, non eos illa narrat historia, sed neque iste Psalmus mentiri potest, neque Prophetæ, qui hoc dicunt multis increpationum suarum locis. Habuisse vero istam consuetudinem Gentes, nec earum litteræ tacuerunt.

XXXI. Sed quid est quod sequitur? « Et interfecta est » terra in sanguinibus. » Putaremus enim scriptoris errorem, eumque diceremus pro eo quod est « Infecta, » fecisse « Interfecta, » nisi haberemus beneficium Dei, qui Scripturas suas in multis linguis esse voluit; atque ita esse scriptum, « Interfecta est terra in sanguinibus, » inspec-

<sup>1</sup> Exod. iii, 8. — <sup>2</sup> Psal. cv, 34-36. — <sup>3</sup> Ibid. 38, 39.

tis græcis codicibus videremus<sup>1</sup>. Quid est ergo, « Interfecta est terra, » nisi hoc referatur ad homines qui habitabant in terra, tropica locutione, qua significatur per id quod continet id quod continetur, sicut dicimus malam domum, in qua mali habitant, et bonam, in qua boni? Ipsi namque interficiebant animas suas immolando filios suos, et effundendo sanguinem parvulorum a consensione illius sceleris alienorum: unde dictum est, « Effuderunt » sanguinem innocentem. » Ergo, « Interfecta est terra » in sanguinibus, et contaminata est in operibus eorum, » cum ipsi interfecti sunt in anima, et contaminati in operibus suis. « Et fornicati sunt in adinventionibus suis. » Has dicit adinventiones, quas Græci ἐπιτηδεύματα appellant. Nam hoc verbum est in codicibus græcis et hoc loco, et superius, ubi dictum est, « Irritaverunt eum in adinventionibus suis: » cum et illic et hic eas dicat adinventiones, in quibus alios imitati sunt. Non itaque sic dictas arbitremur adinventiones, quasi ab ipsis institutas, nullo in aliis præcedente quod imitarentur exemplo. Unde alii interpretes nostri, non adinventiones, sed studia; alii vero affectiones vel affectationes, alii voluptates dicere maluerunt: et iidem ipsi qui dixerunt adinventiones, alio loco studia posuerunt. Hoc commemorare volui, ne quæstionem faceret nomen adinventionis in ea re, quam non a se ipsis excogitaverunt, sed alios imitati sunt.

XXXII. « Et iratus est furore Dominus in populum » suum<sup>2</sup>. » Noluerunt quidam interpretes nostri iram ponere, in eo quod græcus habet θυμὸς: sed quidam posuerunt; quidam vero indignationem, quidam animum interpretati sunt. Quodlibet autem horum dicatur, perturbatio non cadit in Deum: sed de consuetudine translatum, potentia vindicandi hoc nomen accepit.

<sup>1</sup> Græc. ἐφρονεστονίθη. — <sup>2</sup> Psal. cv, 40.

XXXIII. « Et abominatus est hæreditatem suam. Et » tradidit eos in manus Gentium, et dominati sunt eorum » qui oderant eos: et tribulaverunt eos inimici eorum, et » humiliati sunt sub manibus eorum<sup>1</sup>. » Quando eos hæreditatem Dei vocavit, manifestum est quod non ad perditionem, sed ad disciplinam eos abominatus est, et tradidit in manus inimicorum. Denique sequitur, « Sæpe » liberavit eos. »

XXXIV. « Ipsi autem exacerbaverunt eum in consilio » suo<sup>2</sup>. » Hoc est quod superius ait: « Non sustinuerunt » consilium ejus. » Perniciosum autem est consilium hominis ipsi homini, quo ea quærit quæ sua sunt, non quæ Dei sunt<sup>3</sup>. In cuius hæreditate, quod ipse nobis est, cum ad fruendum se præbere dignatur, nullas patiemur cum sanctis societatis angustias, dilectione rei nostræ quasi privatæ. Gloriosissima quippe illa civitas adepta promissam hæreditatem, in qua nullus morietur, nullus orietur, non habebit cives qui singuli gaudeant suis rebus, quia Deus erit omnia in omnibus<sup>4</sup>. Cujus societatem quisquis in hac peregrinatione fideliter et flagranter desideraverit, assuescit privatis præferre communia, non sua quærendo, sed quæ Jesu Christi: ne sibi sapiens et sibi consulens, exacerbet Deum consilio suo; sed sperans quod non videt, non festinet de his quæ videntur fieri beatus, atque illud æternum quod non videtur patienter expectans, ejus in promissionibus sequatur consilium, cuius in tentationibus precatur auxilium. Ita erit et humilis in confessionibus suis, ne fiat istorum similis, de quibus dicitur, « Et humiliati sunt in iniquitatibus suis. »

XXXV. Deus tamen plenus misericordia, non neglexit eos: « Et vidit cum tribularentur, cum audiret orationem eorum. Et memor fuit testamenti sui, et pœnituit

<sup>1</sup> Psal. cv, 41, 42. — <sup>2</sup> Ibid. 43. — <sup>3</sup> Philip. ii, 21. — <sup>4</sup> 1 Cor. xv, 28.

» eum secundum multitudinem misericordiae suae<sup>1</sup>. Pœnituit » dictum est, quia mutavit quod eos perditurus videbatur. Et apud Deum quidem disposita et fixa sunt omnia, nec aliud facit quasi consilio repentino, quod non ex aeternitate se facturum esse præscivit: sed in creaturæ temporalibus motibus, quam gubernat mirabiliter, ipse non temporaliter motus, quasi repentina voluntate facere dicitur, quod ordinatis rerum causis consilii sui secretissimi immutabilitate disposuit, qua suis quæque temporibus agnita, et præsentia facit, et futura jam fecit. « Et ad » hæc quis idoneus<sup>2</sup>? » Audiamus itaque Scripturam, humiliter excelsa dicentem, cum et parvulis nutriendis sumenda porrigit, et majoribus exercendis perscrutanda proponit. « Et vidit cum tribularentur, cum audiret orationem eorum, et memor fuit testamenti sui: » utique testamenti æterni, « Quod disposuit ad Abraham, » non veteris quod aboletur, sed novi quod etiam in vetere absconditur. « Et pœnituit eum secundum multitudinem » misericordiae suae. » Hoc fecit quod disposuerat, sed contribulatis et orantibus se id concessurum esse præsciverat; quia et ipsa oratio eorum, cum adhuc non esset, sed futura esset, Deum procul dubio non latebat.

XXXVI. « Et dedit eos in misericordias<sup>3</sup>. » Ut essent non vasa iræ, sed misericordiae<sup>4</sup>. Ideo autem puto pluraliter misericordias dictas, in quas eos dedit, quia unusquisque proprium donum habet a Deo, alius sic, alius autem sic<sup>5</sup>. « Dedit ergo eos in misericordias, in conspectu » omnium qui ceperant eos. » Age nunc, quisquis hæc legis, et gratiam Dei, qua in æternam vitam per Dominum nostrum Jesum Christum redimimur, legendo in apostolicis litteris, in prophetiis autem scrutando cognoscis, et

<sup>1</sup> Psal. cv, 44, 45. — <sup>2</sup> 2 Cor. II, 16. — <sup>3</sup> Psal. cv, 46. — <sup>4</sup> Rom. IX, 22, 23. — <sup>5</sup> 1 Cor. VII, 7.

Vetus Testamentum in Novo revelatum, in Vetere Novum velatum vides, recole quem dixerit apostolus Paulus principem potestatis aëris, « Qui operatur in filiis infidelitatis<sup>1</sup>. » et illud ubi ait de quibusdam, « Ut resipiscant de diaboli » laqueis, captivati ab ipso secundum ipsius voluntatem<sup>2</sup>: » et verba Domini Jesu Christi, ubi eum expellens de fidelium cordibus ait, « Nunc princeps hujus mundi missus » est foras<sup>3</sup>: » et ipsius itidem Apostoli dicentis, « Qui » eruit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in » regnum Filii claritatis suae<sup>4</sup>. » Hæc atque hujusmodi ratiocinatus, intende animum et in litteras Veteris Testamenti, et vide quid cantetur in eo Psalmo cujus est titulus, « Quando domus ædificabatur post captivitatem: » ibi enim dicitur, « Cantate Domino canticum novum. » Et ne existimes ad Judæorum populum tantummodo pertinere: « Cantate, inquit, Domino omnis terra; cantate » Domino, benedicite nomen ejus, annuntiate, » vel potius, « Bene nuntiate, » imo ut ipsum verbum, quod in græco positum est, transferam, « Evangelizate diem ex » die, salutare ejus. » Hinc enim Evangelium nuncupatum est, in quo annuntiatur dies ex die, Dominus Christus, lumen ex lumine, Filius ex Patre. Hoc enim est et salutare ejus, quia salutare Dei Christus est, sicut et superius jam demonstravimus. « Annuntiate in Gentibus » gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus. Quoniam magnus Dominus et laudabilis valde, terribilis est » super omnes deos: quoniam omnes dii gentium daemonia<sup>5</sup>. » Isti ergo inimici cum rege suo diabolo captivum tenebant populum Dei. De qua captivitate cum redimimur, et princeps hujus mundi mittitur foras, ædificatur domus post captivitatem: cujus lapis angularis est

<sup>1</sup> Ephes. II, 2. — <sup>2</sup> 2 Tim. II, 26. — <sup>3</sup> Joan. I, 31. — <sup>4</sup> Coloss. I, 13. — <sup>5</sup> Psal. xcvi, 1-5.

Christus, qui duos condidit in se, in unum novum hominem, faciens pacem, quam dies ex die veniens evangelizavit eis qui erant prope, et eis qui erant longe, faciens utraque unum<sup>1</sup>; et adducens alias oves, quæ non sunt de hoc ovili, ut sit unus grex et unus pastor<sup>2</sup>. Et ita Deus « Dedit in misericordias » prædestinatos suos: « Quia » non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei<sup>3</sup>: » in conspectu omnium qui ceperant eos. » Hi ergo inimici, diabolus et angeli ejus captivaverant prædestinatos in Dei regnum et gloriam: a Redemptore autem nostro foras missi qui dominari infidelibus solebant intrinsecus, fideles oppugnant extrinsecus. Sed oppugnant, non expugnant eos qui apprehendunt turrem fortitudinis a facie inimici<sup>4</sup>. Ut autem oppugnent, sentiunt in nobis esse infirmitatis reliquias, propter quas dicimus: « Dimitte nobis debita nostra: » propter quas dicimus: « Ne nos in- » feras in tentationem, sed libera nos a malo<sup>5</sup>. » His itaque inimicis ejectis, perfecit Dominus Christus sanitates in corpore, cui caput est ipse Salvator corporis<sup>6</sup>, ut in eo ipso corpore suo tertia consummetur. Sic enim dixit: « Ecce eicio dæmonia, et sanitates perficio hodie et » cras, et tertia consummor<sup>7</sup>, » id est, perficior, occurrentibus omnibus nobis in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi<sup>8</sup>.

XXXVII. Itaque ejectis dæmoniis, a quibus captivi tenebamur, perficit sanitates. Ideo et hic cum dixisset: « Et » dedit eos in misericordias, in conspectu omnium qui » ceperant eos: » tanquam ejectis dæmoniis qui ceperant, fit oratio ut perficiat sanitates. « Salvos nos fac, Domine » Deus noster, et congrega nos de nationibus<sup>9</sup>, » vel sicut

<sup>1</sup> Ephes. II, 13-22. — <sup>2</sup> Joan. X, 10. — <sup>3</sup> Rom. IX, 16. — <sup>4</sup> Psal. LX, 4. — <sup>5</sup> Matth. VI, 12, 13. — <sup>6</sup> Ephes. V, 23. — <sup>7</sup> Luc. XIII, 32. — <sup>8</sup> Ephes. IV, 13. — <sup>9</sup> Psal. CV, 47.

alii codices habent, « De Gentibus: ut confiteamur nomini sancto tuo, et gloriemur in laude tua. » Deinde breviter subjecit ipsam laudem: « Benedictus Dominus » Deus Israël, a sæculo et usque in sæculum<sup>1</sup>: » quod intelligimus, ab æterno usque in æternum; quia sine fine laudabitur ab eis, de quibus dicitur: « Beati qui habitant » in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te<sup>2</sup>. » Ipsa est tertia consummatio corporis Christi ejectis dæmoniis et perfectis sanitatibus usque ad ipsius corporis immortalitatem, regnum sempiternum perfecte laudantium, quia perfecte amantium; perfecte autem amantium, quia facie ad faciem contemplantium. Tunc enim perficietur quod in primordio Psalmi hujus oratum est: « Memento nostri, » Domine, in beneplacito populi tui, visita nos in salutari » tuo, ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad » lætandum in lætitia gentis tuæ, ut lauderis cum hæreditate tua. » Non enim de Gentibus solas congregat oves, quæ perierunt domus Israël<sup>3</sup>; sed etiam eas quæ non sunt de illo ovili, ut sit grex unus, ut dictum est, et unus pastor<sup>4</sup>. Judæi vero cum putant ad suum regnum visibile istam pertinere prophetiam, quia spe invisibilium honorum gaudere non norunt, in laqueos illius ruituri sunt, de quo Dominus ait: « Ego veni in nomine Patris » mei, et non suscepistis me; alius veniet in nomine suo, » hunc suscipietis<sup>5</sup>. » De quo apostolus Paulus dicit: « Quia revelabitur homo peccati, filius interitus, qui ad- » versatur et superextollitur supra omne quod dicitur Deus, » aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens » se tanquam sit Deus. » Et paulo post, « Tunc revelabitur, inquit, iniquus, quem Dominus Jesus interficiet » spiritu oris sui, et evacuabit illuminatione præsentiae

<sup>1</sup> Psal. CV, 48. — <sup>2</sup> Id. LXXXIII, 5. — <sup>3</sup> Matth. XV, 24. — <sup>4</sup> Joan. X, 16. — <sup>5</sup> Id. V, 43.